



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 6. Genesisij mimi mira conuersio, & Baptismus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. VI.

*Genesij mimi mira conuersio & baptis-
mus.*

Martyro-
log. Ro-
man. V-
Iuardi 25.
Augusti.

Et cur animum despondeant isti ? cum nihil penitus vnquam merentes non raro respiciat Deus. Genesius, tempore Diocletiani, Romæ, mimus & thymelicæ artis magister, in publico theatro, de Christianorum mysterijs, Imperatori, per ludibrium, delitias facturus ægrotum se simulans baptismū poposcit. Euocato mimico presbytero, & exorcista, cum ludere vellet, repente serio egit. Quippe, diuini Spiritus impulsu, mutatus, inter ipsos sacrilegos iocos, Christianus factus, mimorum nugamentis, immo iam vi sua non carentibus simulaculorum Sacramentorum arcanis absolutis, albis vestibus indutus, atque etiam ad sanctorum martyrum similitudinem, à militum petulantia raptus, de religione interrogandus Imperatori exhibitus, in editiore loco consistens sic cœpit perorare: *Audi, Imperator, audite Quirites, & omnes exercitus, populiq; huius ciuitatis. Eo apud me Christiani loco fuere, vt in derisum despectumq; illorum, sacros ritus, coram vobis, explodere vellem. Ita eram animatus. Ast vbi primum*

me aqua nudum contigit, & interrogatus, credere me, respondi, mirabile se se oculis meis exhibuit spectaculum. Nam manum quandam vidi supra me caelesti è regione. Et iuxta me Angeli steterunt clarissime fulgurantes. Hi è libro quopiam, omnia, quae ab infantia usq; male perpetravi, recitauerunt, atq; illico in aqua diluerunt; post quae, me mihi ipsum ostenderunt nive candidiorem. Talis prodeò ex hoc balneo. Nunc igitur & tu, Imperator, & vos satrapae, & quotquot me ludentem spectauistis, mecum resipiscite, & Christum verum Deum esse credite, per quem aeternum salui esse possumus. Dixit, & Imperatorem, quem oblectatum venerat, in furorem dedit, a quo Plutiano traditus, dirissime; pro Christo, est excruciatu. Nam equuleo tortus, fustibus caesus, vngulis laceratus; facibus vltus, denique capite truncatus, nobilissimam martyrij lauream reportauit. Inter quae tormenta omnia, nulla illi alia vox excidit, quam ista: Non est rex, praeter Christum, pro quo, si milies occidar, ipsum mihi de corde auferre non poteritis. Sic diuina bonitas etiã indignis atque immerentibus offert gratiam, qua repente sanctissimi & fortissimi efficiantur. Neque sine iustissimo consilio. Quia, vt su-

Ludovic.
Blosius in
Canone
vit. spir.
cap. 2.

pra laudatus author ait: *Quanto plura, quanto graniora sunt ipsa peccata, qua donat, & quanto indigniores miserabilioresq; sumus nos, quib; ignoscit; tantò gloria eius magis elucescit.* Mihi enim uerò etiam videtur voluisse vim baptismi ostendere, in quo etsi neq; intentio ministri, neque suscipientis, ab initio, fuit, tamen & illa diuinitus impleta, & hæc opere ipso suscitata tantum effectum sortita est, ut, sine mora, ex illatore fieret confessor; ex mimo Diocletiani, Seruus Christi; ex sacrilego denique, cultor sacrorum & Martyr. Adde, voluisse etiam Redemptorem nostrum hoc exemplo demonstrare, quod verbo aliquando docuerat, nempe nos non debere esse vindictæ appetentes. Nam ecce, **Matth. 5.** qui dixerat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persecutibus & calumniantibus vos: etiam causam reddidit: ut sitis filij Patris vestri, qui in coelis, est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: (hoc est, qui bonis & malis benefacit) & pluit super iustos & iniustos, seu qui cruces atque aduersa æquè iustis ac iniustis, licet diuersis de causis, mittit. Nullus ergo clypeum debet abijcere, in hac vitæ istius ancipiti pugna: etiam si iniustus sit, pluuia tribu-*

tribulationum illum poterit abluere, aut aqua baptismi, si nondum sit ea tinctus: etiam si malus, si cæcus in fide, solem diuini luminis super eum oriri faciet, cum minimè sperabit. In Genesio discat, animarum nostrarum Pastorem Christum IESVM sæpe ouem ex ore lupi eripuisse.

§. VII.

Philemonis triplex baptismus.

Quantus autem sit amor succurrendi in Deo, præsertim per baptismi sacramentum, quod de medijs necessitate est, ita ut, sine eo, vel in re, vel in voto, suscepto, saluari nemo possit, ostendam alio luculentiore exemplo, vbi legimus, & fluminis, & flaminis, & sanguinis baptismum, in vno homine, confluisse; quorum etsi baptismi singuli suffecissent, voluit tamen omnipotens Mundi Gubernator declarare, aliunde desertos à se non desereri; & quo pacto possit *super iustos vtilissimè pluere*. S. Philemon tactus cœlesti lumine, Christum vltro profitebatur, & pro eo mori desiderabat. Stabat iam Martyr ad tribunal, & sedebat Præses tyrannus. Ille damnari optabat, iste cupiebat absoluere reum. Quare Philemoni obicit, frustra illum esse, cum neque Christia-

Laurent.
Sur. tom.
6. die 4.
Decemb.
in vita eius c. 32.
ex Metaphrast. &
Aloys.